1628. E 28. Julij    Ex Epis. MS. Lubien. in Arch. Stan. Aug. Regis

201

# Stanislaus Lubienski
## Stanislao Sieracovio

65

Mitto ad vos eum, per quem certior fieri volo quid isthic vel agatur vel audiatur. DV. me faciat compotem voti mei, literis suis, quæ etiam si breves fuerint, modo summam rei complectantur, mihi gratiæ erunt, illustris heros tuus, quando iterum (: id enim faciat oportet :) ad aulam reversurus fac ut sciam, si quæ præterea spes ex Prussia affulget, si non omnino deplorata salus publica, si quid vos melius pravidetis, unde et nos amicos erigere possimus, si deniq. pereundum est date operam mature, ut sciamus ne dum omnia timemus diuturno metui, forti per ipsos significaveritis, spem quidem nisi supremi fati, vis nobis ademerit, retinebimus, interitus nuncium primi resciemus, ne id accidat, iis prospiciendum est, qui clavum Reipublicæ tenent. Commendo me amori DV. Dat Pultoviæ die 28 Julij Anno 1628.